

**Quaestio medica chirurgica: Utrum aneurysmati cruralis arteriae ligatura? / [Jacques Gourlez de La Motte].**

**Contributors**

Gourlez de La Motte, Jacques, active 1751.  
Besse, J.

**Publication/Creation**

Paris : Quillau, 1752.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/q939ubk8>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





DEO OPTIMO MAX.  
UNI ET TRINO,  
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,  
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,  
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,  
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis nono  
mensis Martii, anno M. DCC. LII.*

M. JOANNE BESSE, Dotariæ Hispaniarum Reginae,  
dum viveret, Medico primario, Doctore Medico, Præsidente.

*Utrum Aneurysmati cruralis arterie Ligatura?*

I.



ORPORIS humani adeò delicata sunt organa, ut illud scrutanti minimè mirum videatur quot & quantis obnoxium sit malis; si quæ verò sint periculosa, illa sanè quæ majora attingunt vasa, sive eorum continuitatem solvendo, sive eorum vim ac resistantiam infringendo; exinde enim lethales oriuntur vel saltem imminent hemorrhagiæ, quæ si non sistantur vel non præcaveantur, mortem inferunt citissimam. Hisce detorquendis malis animo indefesso allaborant Medici, sed frustraneus nonnunquam eorum la-

A



bor est; si enim vas in ventre quovis sit positum, ægrotantis plerumquæ conclamata res est; si verò idem sit in artubus, tunc curatio plùs minùsve operosa, prout illud est venosum vel arteriosum; facilior si venosum, difficilior verò si sit arteriosum. His autem in affectibus frustra aliis adhibitis remediis, ligaturam pronuntiavit veneranda antiquitas, cujus vestigiis insistentes Neoterici illam pariter imperarunt, sed præsertim in artubus superioribus ac infra arteriæ bifurcationem; eam enim admodum rarò prosperè succedere existimabant, si supra divisionem arteriæ brachialis esset instituta; nullum enim aliud suspicabantur (a) auxilium, nisi fortunâ adesset duplex axillaris vel brachialis arteriæ ramus, quorum unus alteri supplere posset (b). Doctior verò venit anatomia & partium perspicatior inspectio, quæ nos docuit illam tentari posse supra ipsam bifurcationem, nobis enim manifestè detexit, arteriæ ramificationes superiores, propaginesque inferiores anastomose jungi, sicque partium commercium ligaturâ incerceptum restaurari posse. Quod in artubus inferioribus stabilitum fuisse haud secùs, ac in superioribus mens est probare, ligaturamque exindè his in partibus, firmiter tentandam esse. Quod intuenti manifestum apparebit cum demonstrabitur ad liquorum circuitum resarciendum, easdem & frequentiores adesse in crure ac in brachio anastomoses, quæ eundem circulum arteriæ cruralis ligaturâ interceptum redintegrare valent.

(a) Vide Observ. Bidloii. referta à Volsio in observ. 19. pag. 66.

Vide acta naturæ curios. tom. 7. observat. 34.

(b) Voyez les réflexions sur l'anéurisme par M. Almonro, observat. de Medecine de la Société d'Edinbourg pag. 349.

## I I.

**A**RTERIARUM tumores siue pendeant ab imminutâ earum vi & resistentiâ, siue ab earum solutione, uno & eodem nomine, Aneurysmata nuncupantur. Plurimis tamen non arrisit illa denominatio, exindè quod Aneurysmata fieri nisi per dilatationem denegarent, ut Fernelius (b), & Doringius (c), siue ut Sennertus (d), & Diemberbroeckius (e), ex eo quod arteriarum vulnera inter hemorrhagias vel ecchymoses erant annumeranda. Neoterici tamen veterum vestigia prementes (f), quibus sanè jus fuit nomen rebus imponere, illam admiserunt denominationem; hinc Aneurysma egregiè definitur morbus arteriarum, siue à dilatatione, siue à rupturâ; undè duplex est Aneurysmatum genus, legitimum scilicet quod à dilatatione; spurium verò, quod à disruptione tunicarum arteriarum producuntur. Utrumque in suas distribuitur species, quarum una quæque suis dignoscitur signis. 1<sup>o</sup>. Quidem legitimum fit vel integris arteriarum membranis, vel partim disruptis; illud rariùs, hoc verò frequentius in spurium vertitur; in spurio Aneurysmate sanguis vel foràs profilit, vel intra partes vicinas effunditur & tunc ecchymosis nascitur, vel circumscripta, vel lata, infra cutem vel intra musculos diffusa. Hisce symptomatis dignoscere fas est hujusce morbi species. In legitimo Aneurysmate tumor adest pulsabilis, cuti concolor, citrà dolorem, ad tactum mollis, spongiosam laxitatem præ se ferens & digitis prementibus facillè cedens, evanescens dum comprimitur, subitò reversurus sublatâ compressione; (g) hisce potissimum signis à cæteris tumoribus distinguitur Aneurysma legitimum, adfunt verò & alia peculiarissima signa, quibus legitimi Aneurysmatis etiam dignosci possit species, in illo enim quod à disruptis partim membranis oritur, comprimendo, quidam exauditur strepitus ex regressu sanguinis in capacitatem vasis, qui quidem non percipitur in eo quod fit ex tunicarum dilatatione, in hac autem specie dum comprimitur, reverà cedit tumor, sed inferiorem vel lateralem vel posticam partem segmenti arteriæ affecti, oc-

(a) Lib. de affect. extern. Corp. cap. 3.

(b) In libello de Aneurism.

(c) Contra Saportam.

(d) Contra Regium.

(e) Galenus. lib. de tumor. præternat. cap. 11.

Joan. Bap. Sylvaticus in libello de Aneurism.

Antonius Saporita lib. 1. de tumor. cap. 43.

Ætius Tetra-bibl. 4. serm. 2. cap. 11.

(f) Ætius lib. 4.



cupaturus. Facili de negotio spurium dignoscitur Aneurysma, dum sanguis foras erumpit, tum ex illius subsultu & rutilante colore, tum ex eo quod vase infra aperturam vividè compresso, non coerceatur purpureus latex, hæc autem ratio patet attendenti. Verùm si sanguis non exiliat & intra partes vicinas diffundatur, exurgit tumor qui legitimum æmulatur Aneurysma, si ecchymosis circumscribatur. In hoc enim casu coercetur sanguis, vel à cicatrice textus cellularis exterioris arteriæ, vel à grumo sanguinis, qui non tantum ecchymosis præpedit expansionem, sed etiam extenditur, in parteque interiori excavatus, veluti membrana, saccum Aneurysmalem efformat; dignoscitur verò ex eo quod subito attollatur, nec molliem affectet eandem atque legitimum Aneurysma (a), neque compressum, ex toto evanescat; sanguinis enim grumosa pars, in vasorum cavitatem regredi nequit; si verò sanguis intra membri partes divagetur vel exterior vel interior est ecchymosis, & tunc facilius difficiliusve dignoscitur Aneurysma, ex obscurâ plus minusve pulsatione. Sæpè enim coagulato sanguine, ægrè admodum à peritissimis dignoscitur; interdum cessat pulsatio, quia sanguis concretus pulsationi reluctatur arteriam comprimendo & angustando. Hæc autem Aneurysmatum species plurimis causis debent natales, quarum, præmissâ arteriarum fabricâ, luculentior evadet intelligentia. (b) Jamjam à nobis est evictum arteriarum tunicas, nihil aliud esse præter plurima textus cellularis folia, sibi invicem adunata & plus minusve compacta, pro ratione majoris minorisve compressionis; verùm ille textus cellularis nervosis perreptatur fibris, quæ integumentis spoliata, sub papillarum formâ in parte vasorum interiori prominentes, sensibilitatem ipsis conciliant, quæ quidem liquorum indole excitata, vasorum reactionem suscitare valet. Verùm enimverò, quæcumque vasorum resistantiam imminuere valent, inter legitimi Aneurysmatis causas sunt annumeranda; cum autem vasorum reactio potissimum pendeat ab excitatis sensibilibus vasorum partibus, hinc patet quòd legitimo Aneurysmati, ansam præbeant, quæcumque vasorum sensibilitatem imminuunt vel tollunt; hinc toties sobolescent Aneurysmata à tunicarum dilatatione, quoties vel languidiùs nervorum distributiones spiritus animales traducunt vel minimè; tunc enim textus cellularis vis elastica, impar erit ad resiliendum contra sanguinis impetum vi validâ in arteriarum parietes impingentis; hinc sensim & sine sensu vas expansionem patietur, undè saccus Aneurysmalis. Pari de ratione, imminutâ scilicet tunicarum arteriæ resistantiâ, exurget Aneurysmalis tumor, si nonnulla tunicarum folia, sive intus sive extus divellantur contusione, sectione, validissimo nisu, vel exedantur acri corrodente, vel suppuratione, sive illæ posteriores causæ intra tunicas arteriæ agant, ut sæpè fit, sive ex viciniâ in arterias devehantur succi pravi; nullam enim erodendi vim ex se produnt succi corrodescentes, quamdiù aliis corporis humoribus permixti in circulum aguntur, enumeratis hisce causis, subnectere non est incongruum insitam tunicarum laxitatem ac debilitatem, quæ solo sanitatis effectu, illas extendi patiuntur. Spuria verò producuntur Aneurysmata, quando ex integro solvuntur arteriarum tunicæ; hinc instrumenta quæ divellunt cujuscumque sint generis, succi corrodescentes, perpetuus & validior liquorum impetus in arterias ex imminutâ resistantiâ debilitatas, spurium Aneurysma procreare valent. Porro enuntiatis naturâ, speciebus, signis & causis Aneurysmatum, ad eorum curam progrediendum est.

(a) Aetiologia  
ibid.

(b) V. Thesis;  
An d. vasorum  
irritabilitate  
aucta aut  
imminuta om-  
nis morbus?



**A**NEURYSMATIBUS medendi plurimæ fuerunt excogitatæ methodi; variæ pro vario Aneurysmatis genere, in legitimis compressio, emplastra adstringentia, remedia interna in usum vocata fuerunt à Medicis, sed vario cum successu, prout ritè adhibita; compressio enim & adstringentia satis prosperè successerunt in Aneurysmatibus legitimis, ex partim disruptis arteriæ membranis; institutâ enim compressione non solum in parte affectâ, sed etiam in arteriæ trajectu, vulneris ora cicatrice fuerunt obducta, ut passim legitur apud Authores (a). Sed frustra hæc adhibita fuit methodus in Aneurysmatibus à dilatatione membranarum, in hac enim specie, nulla inde percipitur utilitas, nisi quod tumoris producatur recrudescencia in parte compressioni oppositâ. In his verò feliciùs aliquandò medicamenta exhibuerunt interna, ut videre est apud Fabricium Hildanum (b), & Lancisi (c), qui ex appropriatis sive ad vitium pforicum sive ad siphylidem, Aneurysmata ex his causis sanaverunt. His verò frustra tentatis ligaturam jusserunt. Spuria autem Aneurysmata igne, spiritibus acidis, stypticis, adstringentibus, compressione, ligaturâque debellarunt. Ignis, spiritus acidi, ut noxii jamjam obsoleverunt; compressioni, adstringentibus, ligaturæque tantum nunc indulgent recentiores tutiori tanquam methodo. Sic solâ adhibitâ compressione, sive nulla fuerit sanguinis suffusio, sive fuerit, sed circumscripta, plurima sanata sunt Aneurysmata. Compressio enim, ritè & tempore debito instituta, vel vulneris arteriæ consolidationem produxit, vel sanguinis effusi fluidiorem partem exprimendo & in vas repellendo, adeò validè grumi partem fibrosam vulneris labiis applicuit & agglutinavit, ut adhærentiis exinde contractis, vulnus obturaverit: si verò latè suffundatur sanguis, non sufficit compressio; tunc enim si recens sit ecchymosis tactui cedens, non magna, nec nigricans, tunc torculari compressâ arteriâ, aperitur tumor, evacuatur sanguis collectus, arteriæque exploratur vulnus; si speranda sit cicatrix, vel solis adstringentibus cum validâ applicatione arteria ad consolidationem adducitur, vel (d) globulum magnitudine pisi ex vitriolo ad albedinem calcinato, quem probè gossypio involvunt, arteriæ foramini imponunt, cavumque adstringentibus adimplent, oraque fasciâ aptâ retinent, exinde nonnihil roduntur arteriæ labia, inflammantur, constringuntur & agglutinantur. Si verò magna sit arteriæ scissura, si sit transversa, si à materiâ corrodente undique fracta fuerit & dissoluta arteria, tunc instituenda est ligatura, nisi immineat gangræna in partibus inferioribus; tunc enim solum superesset remedium, amputatio nempe. De his omnibus, satis unanimiter inter se consentiunt authores, audacterque frustra adhibitis aliis remediis, in artubus superioribus ligaturam pronuntiant. Ex observatis enim Anatomicis, nunc apprimè in propatulo est arteriæ communicationem ligaturâ interceptam posse restaurari, tum à propaginibus arteriæ brachialis anastomose junctis, cum ramis recurrentibus arteriæ cubitalis & arteriæ radiæ, tum à propaginibus & ramificationibus arteriæ scapularis externæ, quæ plurimis communicationibus & anastomosibus copulatur cum ramo recurrente radiæ, sub longo supinatore, atque inter brachiei interni, radiæque externi intercapedinem; in membris verò inferioribus, sive vasorum ramificationes ignorent, sive illas insufficientes crediderint ad arteriæ communicationem restaurandam, rariùs hanc operationem

(a) Tulpus  
observ. 56.  
Riverius ob-  
serv. 14.

(b) Observ.

67.  
(c) De motu  
cord. & Aneu-  
rism. pag. 261.

(d) Ettmule-  
rus in Chirur-  
gia Medica tit.  
de Aneurism.  
pag. 565.



jubent, & plerumque ad amputationem subito deveniunt, vel ægrum tristi committunt sorti, quod pessimè sanè. Ligaturâ enim ritè institutâ, his in partibus æquè succedet ac in membris superioribus; eadem enim in his reperiuntur media, quæ interruptam arteriæ communicationem restaurare valent; vasorum enim ramificationes & anastomoses occurrunt & eadem & frequentiores, ac in brachio, ut sequenti demonstratur expositione.

## I V.

**N**ATURAM, in vasorum distributione, non tantum naturali hominis & incolumi, sed & morbosâ conditioni, divinâ quidem ratione consuluisse fatendum est; illa enim ita distribuit ut si unus ramus compressionem, obstructionem & amputationem fortè passus fuerit, vicinus ei illicò succurreret, quod præ cæteris invictè probat iliacarum distributio, ut manifestum erit solâ expositione, harumce arteriarum distributionis, ex ipsâ cadaveris inspectione desumptâ.

Arteria magna ubi primùm prope vertebrae lumbares in abdomen appulit, in partem posticam quinque vel sex ramorum emittit paria, quorum superius ad diaphragma, tria aut quatuor sequentia ad transversum & obliquum internum deferuntur, inferius verò ad os ileum circa partem superiorem labii interni illius ossis rependo protenditur, ibique anastomose cum iliaca coronariâ conjungitur: immediatè subjacent arteriæ sacrae, quæ aliquandò ex parte aortæ posticæ pronascuntur, non nunquam mediante unico trunco ex puncto medio bifurcationis aortæ sobolescunt. Hæ arteriæ per foramina ossis sacri ad spinam divergunt. Magna verò arteria, his suppeditis ramis nunc superius nunc inferius in duos dividitur truncos, quorum unus ad dexteram, alter verò ad sinistram progreditur, iliaca nuncupantur arteriæ, obliquè descendunt versùs partem anticam & infernam ossis ilei, suppeditant autem sacras laterales, quarum nonnullæ per foramina ossis sacri postica transgressæ, vicinis distribuuntur musculis, quædam verò ad musculus iliacum extenduntur, ibique cum iliaca minori junguntur. Iliacæ autem arteriæ exacto circiter trium pollicum spatio, in duos dividuntur ramos, quorum unus anticus & externus, dicitur arteria iliaca externa, alter verò internus & posticus, iliaca interna seu arteria audit hypogastrica. Arteria verò hypogastrica profundior partem pelvis percurrit & incurvata tandem in arteriam abit ombilicalem, cujus in adulto maxima pars cedit in ligamentum, pars tantum ejusdem inferna cavitatem servat, plurimos vicinis partibus emittit ramos, quandoque pudendam emittit internam, quæ cum pudendâ minori externâ sive ramo arteriæ cruralis communicat. Ex curvaturâ hypogastricæ quinque oriuntur præcipui rami, parvâ nimirum iliaca, glutea, sciatica, pudenda communis, obturatrici. Iliaca verò parva in duas subdividitur divaricationes quæ ad canalem ossis sacri, musculus iliacum, substantiam ipsammet ossis ilei distribuuntur, ibique cum sacris lateralibus copulatur. Glutea verò dispergitur ossi sacro, musculo pyriformi, vesicæ, & hæmorrhoidalem internam peculiarem producit, aliunde radiatim distribuitur majori & medio musculorum gluteorum, ibi verò conjungitur cum ramo arteriæ cruralis externo pariter ac cum propaginibus arteriæ sciaticæ, ramum etiam emittit qui nervum sciaticum per sat longum comitatur intervallum. Sciatica verò pyriformem, quadrigemellos, vicinosque musculos exspatiatur & ibi communicat cum plurimis ramificationibus rami interni arteriæ cruralis, deferitur femoris articulo & per hanc distributionem cum obturatrice connectitur, ascendendo postea gluteis notabilem dat ramum qui copulatur cum ramis arteriæ gluteæ & ramo externo crurali. Pudenda verò communis in duos præcipuos distri-



buitur ramos quorum prior inter duo ligamenta sacro-ischiatica progreditur, ubi verò accessit propè corpus cavernosum ad anum distribuitur, suppeditat hæmorrhoidalem externam quæ à parte posticâ ad anticam procedens suprà collum ossis femoris transit & communicat cum ramo externo arteriæ cruralis satis conspicuo; secundus verò ramus, vulgò pudenda externa, ad vesiculas feminales, vesicæ collum, prostates, partesque recti vicinas propagatur, deindè infrà symphysim ossium pubis extenditur & corpora perreptat cavernosa, unoque ramo conjungitur cum minori pudendâ externâ, quæ ex crurali nascitur arteriâ. Obturatrix facit iter ad inguina & glandulas, pectineum & tricipitem, & anastomose jungitur cum ramo medio arteriæ cruralis, ramo inferiori epigastricæ, deindè connectitur cum ramo sciaticæ qui ad articulationem femoris exporrigitur. Iliaca autem externa obliquè progreditur suprà muscolum iliacum usque ad ligamentum Poupartii, tunc verò paulo antè suum ex abdomine exitum duos emittit ramos quorum unus internus, alius verò externus. Internus arteriæ epigastricæ nomen audit, quæ ascendendo juxtâ faciem posticam musculi dextri, conjungitur anastomose cum mammariâ internâ & inferioribus intercostalibus. Arteria epigastrica duos suppeditat ramos quorum unus nunc in pelvi communicat cum obturatrice, nunc per foramen ovatum ducitur, pergit ad tricipitem & ibi consociatur cum ramo arteriæ cruralis & obturatrice. Secundus vero ramus epigastricæ, anastomose jungitur cum arteriâ spermaticâ. Iliacæ autem externæ ramus externus ad internum ossis ilei labium progreditur & ibi in duas dispergitur propagines, quarum una ad transversum & obliquum distributa, communicat cum lumbaribus quæ ad hos devehuntur musculos; altera verò propago quæ dicitur iliaca coronaria in margine superiori & interiori ossis ilei jungitur cum lumbari inferiori. Iliaca autem externa ex abdomine egressa arteriæ cruralis nomine insignitur, statim verò tres emittit ramos quorum prior arteria pudenda minor externa connubium init cum pudendâ internâ & pudendâ externâ, secundus ad pectineum distribuitur, tertius ad sartorium terminatur; paulò post descendendo suprà caput femoris, arteria cruralis tres suppeditat truncos, unum externum, secundum medium, tertium verò internum; externus autem truncus superne distribuitur crurali, vasto externo, gracili anteriori, fasciæ latæ & gluteis, subter gluteis communicat cum arteriâ sciaticâ & arteriâ gluteâ, ramis conspicuis; ille truncus ramum emittit versùs apicem majoris trochanteri qui anastomose copulatur cum sciaticâ & primo ramo pudendæ communis; ramus medius tricipitem perreptat & ibi cum obturatrice jungitur, distribuitur pariter majori gluteo, semi nervoso, semi membranoso, tricipiti & tegumentis; ramus verò tertius seu internus quadrigemellis, pyriformi protenditur & ibi cum sciaticâ anastomose multiplici copulatur, deindè secundum cruris longitudinem dirigitur versùs condylum internum, ibiquè anastomosibus plurimis copulatur cum ramis recurrentibus popliteæ & tibialium, descendendo circumcirca propagines emittit quæ sæpe cruralis ramificationes osculantur, hæc autem propago quandoque adeò est crassa ut in amputationibus solâ ligaturâ perstringi possit, ille autem ramus musculis femoris posticis consulit, emissâ propagine quæ ad articulum femoris incedit. Cruralis, emissis hisce ramis, inter sartorium, vastum internum & tricipitem pergit iter, & circum circa ramos perfundit, qui adeò multiplici conjunguntur anastomose cum propaginibus muscularium, hyppogastricarum, & ramis recurrentibus popliteæ & tibialium ut retis in modum hinc & inde excurrunt. Inter has ce ramificationes duæ præcipuæ deprehenduntur insignes



circa partem mediam cruralis quarum una superior & interna, altera verò inferior & externa, superior verò & interna quæ ad condylum internum progreditur, in duas finditur propagines, quæ anastomose copulantur cum duobus ramis inferioribus recurrentibus, qui nunc unico trunco ex arteriâ tibiali anticâ suboriuntur, nunc duplici ramo sobolescent, quorum unus major ex tibiali anteriori, alter verò ex popliteâ nascitur; inferior verò & externa propago cruralis ad condylum externum divagatur & paulò superius communicat cum ramo recurrente qui modò ex peroneâ, modò ex tibiali posticâ sobolescit. Præterea cruralis paulò suprâ condylum internum retrorsum ducitur & abit in popliteam, quæ multis ramis recurrentibus communicat cum ramis inferioribus arteriæ cruralis; in duas deindè divaricatur distributiones, quarum una tibialis anterior, altera verò tibialis posterior, quæ peroneam posticam emittit. Ex his autem truncis satis constanter emergunt propagines recurrentes superiùs descriptæ, quæ anastomose copulantur cum ramis maximè conspicuis arteriæ cruralis.

## V.

**A**DUMBRATA autem variâ & multiplici vasorum cruralium divaricatione & anastomose, quantâ fiduciâ Chirurgus ligaturam in aneurismate crurali suscipere debeat, liquidò patet. Per totum enim arteriæ cruralis trajectum usque ad iliacam externam, adeò numerosæ sunt illius copulationes cum vasis vicinis & ipsismet ramificationibus, ut illorum beneficio faciliè restaurari posse videatur sanguinis circulus, ligaturâ trunci interceptus, in quâcumque quidem parte vasis instituatur operatio. Etiam si enim liganda foret iliaca externa, minimè tamen de salute ægri desperandum foret; præter enim mammariam internam, intercostales inferiores, lumbares musculares, lumbarem inferiorem, spermaticam, obturatricem quæ cum iliacæ coronariæ & epigastricæ propaginibus ineunt connubium, mediatum vel immediatum omnium hypogastricarum cum crurali commercium, præstantissimum ad sanguinis propagationem suppeditaret subsidium. Pudendæ enim externa & interna quæ consociantur cum pudendâ minori externâ, ramus arteriæ cruralis, glutea, sciatica, præcipuus ramus pudendæ communis cum crurali externo trunco communicantes, obtutrix cum medio ramo, sciatica cum ramo interno ejusdem cruralis anastomose junctæ, satis essent superque ut sufficientem sanguinis copiam refunderent in arteriam cruralem, ad vitam partium inferiorum fovendam. Quoad verò communicationem partium inferiorum arteriæ cruralis restaurandam cum portionibus superioribus, si ligaturâ fuisset intercepta, numerosissimæ dantur anastomoses arteriæ cruralis descendentes cum propaginibus muscularium, hypogastricarum & ramorum recurrentium, sive ex popliteâ, sive ex tibialibus & peroneâ. Sed quid adhuc immoremur! Omnia ligaturam suadent; ritè enim instituta, qualicumque vacat periculo, exporriguntur vasa quæ ab illâ interceptam communicationem restaurare valent, alioquin illa vasa sufficere conclamat experientia; felicissimo enim cum successu hanc operationem posse celebrari docet Saviardi (a) observatio, docet pariter institutum à me nuperrimè in quadrupede experimentum, ligaturam enim injeci suprâ divisionem arteriæ cruralis in cane, & intra dies octo crus sensum & motum adeò recuperavit, ut nullum exindè incommodum percepisse mihi visum fuerit; nihil igitur conclusionem remoratur, nisi ut caute las ad successum operationis firmandum stabiliamus; præmissis igitur generalioribus remediis, sollicitè compressionem in parte affectâ commendamus,

(a) Nouveau  
Recueil d'Ob-  
servations Chi-  
rurgicales Ob-  
serv. 63.



modò nullum sit in morâ periculum; etiamsi enim morbum profligare non valeat; exindè tamen ligaturâ confectâ, plurimum exurgit commodum, compressâ enim arteriâ principali, sanguis ad vasa collateralia uberius devehitur; hinc ampliantur & extenduntur, sicque aptiora evadunt ut trunci dicissi vices suppleant; dein admotis, ad tempus debitum, indicatis remediis ad coerendum tumorem, authores sumus, si nequaquam cesserint, ut absque uberiori morâ ad operandum sese accingat Chirurgus; timendum enim foret ne tumor, dum ampliatur, nimium occuparet intervallum, & intra ligaturam superiorem & inferiorem nimia interciperetur ramorum còpia, quorum conservatio adeò interest ad operationis successum: eâdem ratione, in arteriâ detegendâ præ cæteris invigilet operator ne sit major, quàm par est, partium vicinarum resectio; caveat pariter ne nervus & vena cum arteriâ colligentur, multa enim indè nascerentur incommoda quæ infauftum redderent operationis exitum; ligatâ verò arteriâ applicandus est apparatus, ita tamen ut ligata arteria validam patiatur compressionem, minimam verò partes circumjacentes, infeliciter enim cederet operatio ex illâ solâ omissione; sanguis enim in illam compressionem frustra innitens, collateralia vasa validè compressa pervadere nequaquam posset, & ad partes appellere non ei concederetur: detineatur prætereà membrum in spirituosissimis liquoribus quasi sepulchrum; hæc enim remedia vasorum vitam fovent, collapsum præpediunt, & illorum actioni maximè conducunt. In situ tandem convenienti repositâ parte, phlebotomia plus minùsve frequenter celebretur, prout ægri res postulat; exindè enim præcavebuntur inflammationes, suppurationes abundantiores, ligaturæ defluxus, illius citior collapsus, aliaque incommoda quæ ei exprobrantur. His consideratis adeò certus & evidens est operationis eventus, ut concludere liceat,

*Ergò Aneurismati cruralis arteria Ligatura.*

### DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Joannes - Franciscus Morand, Regiæ Societatis Lugdunensis Socius.</i>	<i>M. Ambrosius Hosty, Legationis Anglicæ Medicus ordinarius.</i>	<i>M. Guillelmus de Maigny.</i>
<i>M. Martinus Nonguez.</i>	<i>M. Joannes Mac-Mahon, Regii Nosocomii Colmariensis Medicus ordinarius.</i>	<i>M. Gabriel Antonius Jacques.</i>
<i>M. Ludovicus - Alexander Gervaise.</i>	<i>M. Franciscus Thiercy.</i>	<i>M. Claudius de la Vigne de Frecheville, Reginae Medicus primarius, necnon Regis &amp; Serenissima Delphina ordinarius.</i>

Proponebat Parisiis JACOBUS GOURLEZ DE LA MOTTE, Parisinus;  
Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos  
Author, A. R. S. H. 1752, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1752.